

_Lettera_N_2189

Al papa Pio IX

Beatissime Pater,

Torino, fine settembre 1875

Joannes Bosco Piae Societatis Salesianae Superior ad majorem Dei gloriam, et pro ejusdem Congregationis utilitate sequentes speciales gratias spirituales humillime ac supplex postulat:

1° Quum Salesiana Societas Divina Providentia quotidiana vivat atque regatur, ideoque benefactoribus summopere indigeat, humillime petitur, ut Superior Generalis mittere possit unum ex suis, qui penes insigniores benefactores Missam celebret, communicet in altari ad hoc parato: Certiorato Ordinario de habita facultate, ejusdemque licentia requisita quoad honestatem loci et altaris.

2° Superior Generalis per insignibus Benefactoribus Congregationis valeat communicare gratias spirituales ac si reapse essent socii Salesianae Congregationis, iis exceptis quae ad vitam communem referuntur.

3° In omnibus Cong. Ecclesiis, in quibus regulariter servatur SS. Sacramentum, in Media Nocte Nativitatis D. N. J. C. conceditur ut post Primam aliae duae Missae consuetae ab eodem sacerdote celebrentur, sacrosancta Eucharistia Christi fidelibus distribui possit, una cum Indulgentia Plenaria dummodo confessi, et sacro corpore Dominico refecti pro felici statu Sanctae Romanae Ecclesiae ad mentem Summi Pontificis oraverint. Hujusmodi privilegiis jam gaudent Ecclesiae

Congregationis salesianae ad tempus.

4° Indulgentia Plenaria illis omnibus qui confessi et sacrosancta Eucharistia refecti interveniunt Pietatis exercitiis, quae matutino tempore in Nostris Ecclesiis magna cum fidelium frequentia quotidie perficiuntur hoc modo: Tertia pars Rosarii B. M. V. recitatur: Missa celebratur, meditatio aliaeque ad Deum preces funduntur pro Instituti Nostri benefactoribus et ad fidei propagationem juxta mentem Summi Pontificis.

5° Superior Generalis potes horas Canonicas in alias preces vel pius opus suis commutare, quum propter infirmitatem, nimios labores aut de fatigationem absque gravi incomodo sui socii eas persolvere nequeant. Clemens VII pro Theatinis Bulla Dudum pro parte.

6° Facultas erigendi Oratoria in Domibus Urbanis, suburbanis, et etiam Congregationis aedibus ad rem divinam faciendam, et Eucharistiae Sacramentum suscipiendum, ad aegrotantium utilitatem praesertim in cubiculis valetudinariis (infermerie) et quum quis ex sodalibus morbo detinetur.

7° Privilegio Altaris viatici seu portatilis frui etiam possunt in itinere ad exteras missiones, tempore Missionis, Exercitiorum, Novenarum, triduum ita ut illud erigi possit in domibus ubi religiosi ospitantur. Possunt similiter Missam celebrare in Oratorio cujuscumque private domus absque praepudio indultarii.

8° Quascumque gratias sibi concessas a Sancta Sede superior Generalis per alias personas de sua Congregatione exercere potest. In omnibus Congregationis Ecclesiis et cappellis licet verbum Dei Christi fidelibus exponere, Missae Sacrificium celebrare, Eucharistiae Sacramentum fidei populo administrare ejusdenque venerationi illud exponere.

Jannes Bosco sacerdos

Sup. Gen.